

prædestinati esse effectus prædestinationis, sed oportet aliquid aliud superaddi, et hoc non assignatur quid sit.

X. Ad primum respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod effectus prædestinationis elicitive est ipsa transmissio, aut id quo fit transmissio proxime, et supernaturaliter ad gloriam, imperative autem est etiam res ipsa, quæ transmittitur, seu deputatur ad talem transmissionem, aut etiam ea media quæ remote, et ministerialiter deservire possunt transmissioni illi, sicut res naturales, et in universum quidquid in finem prædestinationis referri potest et ab eo dependet, eique deservit, sive intrinsece et per causas proprias, ut res supernaturales, sive extrinsece, et per ministerium aliarum causarum quæ tamen subordinantur fini supernaturali, et a prædestinatione disponuntur, ut suo fini deserviant; et sic substantia prædestinati est effectus prædestinationis, quatenus generatio ejus, et causæ producentes illam ordinantur a prædestinatione, et ex ejus fine ut generent substantiam deputandam, et ordinandam ad finem gloriæ: hoc enim ideo est, quia finis prædestinationis, utpote superior, et universalior, subordinat sibi causas, et fines naturales ut ministerialiter sibi deserviant; et rursus ipsa universalitas divinæ providentiæ tanta est, ut nihil supponat eorum quibus providet, sed omnia faciat etiam subjectum, et substantiam ipsam rei provisæ. Quod si eam facit per providentiam ordinis naturalis, cujus effectus est et rursus ista providentia naturalis subordinatur supernaturali, tamquam finis inferior superiori, a fortiori erit substantia illa prædestinati, quæ est effectus providentiæ naturalis, effectus etiam prædestinationis impera-

tive, utpote ipsi ministrans, et ut quid contentum, et inferius universalitati finis ejus. Et in hoc non tenet exemplum de providentia humana, quia hæc nec imperative, et eminenter, nec elicitive, et proprie producit substantiam rerum quibus providet, sed eam supponit, providentia autem divina in re naturali totum producit, et illi imperat prædestinatio.

Ad secundum respondetur esse diversam rationem de ipsa persona primorum parentum, et de reliquis qui nunc ab eo descendunt, quia primi parentes de facto, et executive fuerunt producti in statu innocentiae, reliqui omnes in statu lapsæ naturæ: nullus enim genitus fuit in statu illo primo. Ille autem status, et gratia ejus, et a fortiori personæ ipsæ, et naturalis eorum substantia, quæ ad illum pertinent, fuerunt prævisæ, et decretatæ ante incarnationem, supposita sententia, quod incarnatio facta est ex peccato præviso: nam consequenter fuit post statum innocentiae prævisum, et decretatum in executione. Unde non fuit locus ut ipsa executio talis status, et productio personarum ad illum pertinentium in rerum natura fieret ex prædestinatione, quia pro illo statu nondum supponebatur prædestinatio, cum nullus fuerit in eo statu prædestinatus: omnis enim prædestinatio est facta per Christum, qui pro illo statu non intelligebatur futurus. At vero reliqui homines, etiam quoad substantiam, et productionem naturalem non fuerunt in re prævisi, et executi, nisi pro hoc statu peccati, in quo jam supponitur Christus, et prædestinatio, et consequenter natura ipsa, et naturales causæ subordinantur, et ministrant illi fini prædestinationis, et subjiciuntur Christo, et sic ab ipso dirigi, et finalizari possunt, et consequenter causari ab eo, et a

providentia ordinante circa talem finem. Ad instantiam quod ante decretum incarnationis, et prædestinationis prævidebantur omnes homines in executione positi, ut pote peccato infecti, respondetur quod non prævidebantur omnes homines determinate in singulari, et adæquate secundum omnes circumstantias, sed solum inadæquate, et quantum est ex parte Adam, ut in semine, et in capite: constat enim multos de facto esse conceptos, et natos per miraculum, et ex fide in Christum, multos ex parentibus Christianis, et Sacramento matrimonii conjunctis, quæ omnes circumstantiæ non potuerunt prævideri pro illo signo status innocentiae, aut peccati Adam ante instans prævisionis Christi, et decreti incarnationis. Non ergo pro illo instanti infectionis peccati omnes homines ab eo descendentes fuerunt prævisi adæquate sub omni circumstantia, et modo quo de facto sunt producti, licet omnes singulares fuerunt prævisi inadæquate, id est, prout præcise ab Adam, et ab illo, ut a capite infecti, et solum in communi, et in confuso. Et sic relictus est locus, ut ex prædestinatione, et beneficio Christi imperaretur eorum productio, et generatio quoad substantiam naturalem ratione alicujus circumstantiæ, et respectus, propter quem subordinari poterant superiori, et universaliori fini gratiæ, et ab eo causari.

XI. Ad tertium respondetur, quod illa voluntas antecedens, et conditionalis salvandi omnes homines non respicit homines sub statu possibilitatis, sed futuritionis; in illo tamen non respicit eos sub omni circumstantia, et respectu, sed inadæquate, et solum præcise quatenus homines sunt, et capaces beatitudinis, atque ad illam ordinari: sic enim sicut omnes ordinantur a

Deo ad beatitudinem, sic omnes vult salvos fieri, in quantum homines. Cæterum in illa voluntate antecedenti, et inefficaci nondum considerantur omnes circumstantiæ, et particulares respectus in hoc vel illo homine, ut docet S. Thomas supra q. xix, art. vi, et nos supra late explicavimus disputatione septima. Et sic relinquitur locus, ut ille met homo, qui in quantum homo præcise subordinatur generali providentiæ, consideratis omnibus circumstantiis subordinetur speciali fini prædestinationis, et superiori providentiæ, a qua imperatur ut fiat. Sicut etiam judex qui desiderat homicidam in quantum hominem non suspendi, non id desiderat circa hominem in statu possibilitatis, sed circa hominem existentem, non tamen adæquate, et secundum omnes circumstantias consideratum, scilicet ut delinquentem, sed præcise ut hominem. Et sic etiam res omnes naturales, ut pendent a providentia naturali, præcedunt decretum, et providentiam ordinis gratiæ: ut tamen subordinatæ ipsi gratiæ tamquam superiori, et universaliori fini, ab ipsa superiori providentia imperantur, et causantur.

XII. Ad ultimum respondetur, quod tam substantia prædestinati, quam ejus generatio, et productio secundum se non sunt effectus prædestinationis, sed ut subordinata fini prædestinationis, et ad illum directa. Hæc autem subordinatio, et directio est in creaturis sensibilibus ad finem gloriæ, ut docet S. Thomas loco supra citato super caput vi ad Rom. lect. iv, ad illa verba: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*, et consequenter debet esse substantia prædestinati, quæ est una ex creaturis sensibilibus: « Ordinatur, inquit, tota creatura sensibilis ad aliquem finem; qui excedit formam naturalem ip-

sus, quia sicut humanum corpus induetur quadam gloria supernaturali, ita tota creatura sensibilis in illa gloria filiorum Dei, quamdam novitatem gloriæ consequetur. » Si ergo naturæ istæ subordinantur illi fini prædestinationis, ab illo ergo causantur imperative, quatenus ad illum diriguntur, et consequenter ejus providentiæ subjiuntur. Nec oportet quod ista subjectio, et ordo sit aliquis modus intrinsecus superadditus substantiæ rei naturalis, sed sufficit quod sit extrinseca subordinatio, et directio ad illum finem quatenus substantia ipsa naturalis elevata, et deputata manet ad illum finem, aut ei ministerialiter deservit. Ipsa autem substantia secundum se non subordinatur illi fini; et sic non est effectus ejus. Unde per hoc non contradicitur primæ parti conclusionis, quia substantia naturalis secundum se est ipsa substantia, non ut subordinata fini superiori supernaturali, sed ut intra limites suos naturalesse continens, et sic est indifferens, et solum capax ordinari pro reprobatione, vel prædestinatione. At vero ut subordinata illi fini est effectus ejus imperative, non quia solum ipsa forma, et perfectio supernaturalis, effectus sit, sed ipsa substantia, et generatio ejus, non per se, et ratione sui tantum, sed ut subjecta illi fini, et sub hoc respectu tota ipsa substantia effectus prædestinationis est, quia illi fini subordinata.

PERFECTIONES ET ACTUS NATURALES  
QUOMODO SINT EFFECTUS PRÆDES-  
TINATIONIS?

XIII. Dico secundo: Perfectiones naturales, ut bona indoles, temperamentum, complexio, imo et mors ipsa prout tali vel tali tempore accidens, effectus sunt prædestinatio-

nis imperative ab ipsa procedentes in ipsis prædestinatis. In hac conclusione variant auctores. Quidam enim quod attinet ad bonam indolem, temperamentum, ingenium, et similia accidentia naturalia, distinguunt, quando sunt orta ex meris principiis naturæ, et quasi ex necessitate naturæ consequuntur, aut quando ex aliquo speciali Dei beneficio habentur, ut ex miraculo, aut alio speciali modo. Et primo modo dicunt non esse effectus prædestinationis ut medium, sed solum ut subiectum, vel ex parte subjecti se tenendo. Secundo autem modo dicunt esse effectus prædestinationis, etiam tamquam medium aliquo modo conducens, quia est beneficium datum a Deo ex divina gratia, et utile atque conducens ad comparandum supernaturalem finem, prout sic datur a Deo. Ita p. Suarez lib. vi de prædestinatione, capite vii. Et in idem inclinatur m. Gonzalez hic disputat. LXXII, cap. III, ubi dicit quod hæc bona naturalia sunt effectus prædestinationis, quando dantur a Deo ex providentia supernaturali præter leges communes, quia potest conducere bona indoles, et ingenium, saltem ad evitanda aliqua peccata, licet non ut motivum, et ratio dandi finem, vel dona supernaturalia, nec conducunt ad facilius vel melius credendum fide divina, licet ad faciliorem apprehensionem credibilium, et iudicium pure humanum de illis possunt conducere. Quando vero ista bona non dantur ex fine supernaturali, non sunt effectus prædestinationis.

XIV. At vero p. Vasquez hic disputat. XCH, cap. IV absolute docet bonam indolem, et alia similia naturalia bona non esse effectus prædestinationis, quia non sunt causa, vel occasio aliorum donorum gratiæ, licet in subjecto, in quo sunt conducant ad hoc ut facilius excitari, vel

juvari possint homines ad gratiam, specialiter circa mortem, est opinio Molinae hic quæst. XXII, art. III et IV, quod mors fortuita, ut quod natans in fluvio suffocetur, vel in via a grassatoribus occidatur, est effectus permissus a Deo: et sic non videtur reduci ab ipso ad effectum prædestinationis: alioquin dicendum esset, quod ideo Deus creaverit hunc hominem ut suffocaretur, et grassatores ut istum occiderent, et consequenter ut peccarent, cum tamen Deus peccatum fecerit, nec mortem.

XV. Nihilominus dicta assertio nostra ut jacet, tenenda est deduciturque ex D. Thoma loco supra citato in I, dist. XLII, ubi omnes causas, et motus naturales quorum officio perficitur generatio, et sustentatio electorum, et quidquid ad illum finem juvare potest, ad effectus prædestinationis reducit. Ea autem quæ imperative a prædestinatione præveniunt, non est necesse quod talia media sint, quod habeant connexionem per se, aut proportionem cum gratia, et supernaturalibus formis, aut præbeant motivum, et occasionem dandi illas, sed sufficit quod ministerialiter illi deserviant, licet tale ministerium necessarium non sit: ad virtutem enim vel causam imperantem solum pertinet inferiorem dirigere ad finem suum, cum quo per se non est connexa talis causa inferior, sed est finis sibi intrinsecus: si enim extrinsece cum illo connecteretur, non indigeret extrinseco imperio dirigente. Imperans autem dirigit ad finem suum res inferiores; non solum si necessariae sint pro fine suo, sed etiam si utiles, aut solum capaces talis directionis, etiamsi non sint medium ad id necessarium: sicut charitas, aut religio potest ordinare actus virtutum inferiorum, aut etiam actus de se indifferentes ad finem suum,

THEOLOGIA III.

licet tales actus non sint per se connexi cum fine charitatis, quia naturalis ordinis sunt. Sic ergo prædestinationis, quæ versatur circa superiorem finem, potest imperare ea quæ inferioris ordinis sunt, et tali fini subordinantur, etiamsi ea quæ sunt inferiora non habeant connexionem per se cum tali fine supernaturali; sufficit quod ei possint ministerialiter deservire, et ad illum ordinari, sicut etiam ipsa substantia prædestinati, ut vidimus, quatenus subordinari potest fini supernaturali, effectus est prædestinationis imperative, et tamen non habet connexionem per se cum gratia, et cum fine supernaturali.

XVI. Ex his ergo fit argumentum pro nostra sententia. Ad hoc ut aliquid sit effectus prædestinationis, et causetur ab ipso imperative, etiamsi sit medium, vel ex parte medii se teneat, et non solum ex parte subjecti, sufficit quod ministerialiter deserviat fini prædestinationis, et ad talem finem ordinetur de facto, etiam si de se nullam habeat proportionem per se, vel connexionem cum eo, sed solum extrinsece ad id ordinetur, nec de se det motivum aut occasionem præbendi gratiam, vel formam supernaturalem; sed perfectiones naturales, ut bona indoles, ingenium, etc. hoc modo se habent: ergo sunt imperative effectus prædestinationis, etiam ut medium, non per se, et intrinsece conducens ad finem, sed ministerialiter, et extrinsece. Major est certa, quia effectus, qui solum est imperative ab aliqua potentia, aut virtute, solum est effectus illius per extrinsecam ordinationem ad finem imperantis: ergo non supponit in effectu imperato intrinsecam connexionem, et ordinem ad illum finem, et consequenter neque cum aliis mediis ejusdem ordinis cum fine: ergo neque quod præbeat motivum